Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36642
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

predicare preceptum est, et percipere evangelium, quod solis ipsis in ecclesia pronunciare licet. Ad ipsos pertinet assistere sacerdotibus et ministrare in omnibus que aguntur in sacramentis Christi, in baptismo scilicet, in crismate, in patena et calice; oblationes etiam inferre et disponere in altari, componere etiam mensam domini atque vestire, crucem ferre et predicare evangelium et apostolum. Ad ipsos quoque pertinet officium precum et recitatio nominum. Ipsi premonent aures ad dominum, ipsi hortantur orare, clamant ipsi, et pacem ipsi annunciant. Hoc officio usus est dominus quando post cenam proprio ore et propriis manibus sacramenta confecta dispensavit, et quando apostolos dormitantes ad orationem incitavit dicens: Vigilate et orate, ut non intretis in temptationem.

De presbiteris.

Septimo loco subsequitur ordo presbiterorum, qui in veteri testamento a filiis Aaron sumpsit initium. Nam qui tunc sacerdotes vocabantur, hi sunt qui nunc appellantur presbiteri; et qui tunc dicebantur principes sacerdotum, nunc episcopi nominantur. Presbiteri autem interpretantur seniores, quia seniores greci presbiteros vocant. Debent enim presbiteri seniores esse in populo dei, non tantum etate corporis quantum prudentia morum et maturitate bone conversationis. Scriptum est: Senectus venerabilis est non diuturna neque numero annorum computata; cani enim sunt sensus hominis, et etas senectutis vita immaculata. Distat autem hoc tantum inter pontifices et huius temporis sacerdotes, quod solis pontificibus addita est clericorum ordinatio, basilicarum dedicatio, sacri crismatis consecratio, manus impositio et communis super populum benedictio. In aliis autem sacramentis, scilicet cathechizandi sive baptizandi sive missam celebrandi et conficiendi corporis et sanguinis Christi, sive in ecclesia verbum faciendi, communis est utrisque dispensatio. Summis sacerdotibus superdicta ideo singulariter reservata sunt, ne eadem prorsus auctoritas potestatis ab omnibus passim vendicata inferiores erga superpositos insolentes redderet, et soluto obedientie vinculo scandalum generaret. Presbiteri successores et vicarii sunt lxx discipulorum, qui precedebant dominum Ihesum in omnem civitatem et locum quo ipse erat venturus. Ita quippe presbiteri, qui adiutores sunt episcoporum, rudes populos cathechizando instituunt, baptizando unitati ecclesie incorporant, et in omnibus sacramentis usque ad manus impositionem populo dei ministrant. Episcopi vero successores sunt apostolorum, qui ex necessitate ad adiutorium et supplementum sui officii in tanta multitudine populorum regendorum ministeriis expetunt sacerdotum. Sic Moyses in heremo lxx viros elegit prudentes, quorum consilio et auxilio multitudinem tantam facilius gubernaret. Sive inferioris sive superioris sint ordinis sacerdotes, vel sive presbiteri sive episcopi, vicem gerunt summi pontificis, dum populos delinquentes ad penitentiam vocant et orationum suarum medicamento sanant. Unde apostolus dicit: Deus erat in Christo reconcilians mundum sibi, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Obsecramus pro Christo, reconciliamini deo. In hoc quoque vice mediatoris funguntur sacerdotes, quod dominum pro peccatis populi exorant, et penitentes absolvendo deo reconciliant. Quapropter convenit ut tamquam boni mediatoris inter